L.B.S.D. Facultatis Medicae ... h.t. procancellarius ... Polycarp Gottlieb Schacher ... / [Polycarp Gottlieb Schacher].

Contributors

Schacher, Polycarp Gottlieb, 1674-1737
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

[Lipsiae] : [Litteris Titianis], [1722]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/mznarjhv

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

35

L. B. S. D.

FACVLTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.
PROCANCELLARIVS
D. POLYCARPVS GOTTLIEB SCHACHER,
ANAT. ET CHIRVRG. P. P.

Oetum á primo conceptionis die ad extremum partus terminum morbis iisque bene multis ac plus vel minus periculosis aut plane lethiferis esse obnoxium, præter multifariam experientiam monumenta Medicorum affatim luculenterque docent. Etenim ut nihil de partu præcoci, serotino, periculi pleno, aut penitus lethali, nihil de gravioribus atque acutis gravidarum morbis anceps vitæ periculum exitiumque tenellis adferentibus, nihil de affectibus hæreditariis lento subinde gradu repentibus natosque citius tardiusque invadentibus, nihil de monstris bicorporeis, bicipitibus, hac illaque parte orbatis aliisque monstrosis conformationibus, nihil de stigmatibus & maculis infantis corpusculo impressis jam dicam, paucula saltem de labio leporino proferre in præsenti fert animus. Sane hic ipse affectus, denominationem suam a labio leporis naturaliter fisso mutuatus, rarioribus morbis nullatenus annumerari meretur; quippe qui justo eheu! frequentius a quamplurimis animadversus est atque etiamnum animadvertitur. Neque quempiam facile latere opinor, hunc morbum non semper eandem præ se ferre faciem, siquidem labium plerumque superius alta simplicique, rarius (a) duplici fissura dissunitum, rarissime inferius (b) labium consimili hiatu deturpatum, nec adeo frequenter palatum simul divisum conspicitur. Equidem tantum non omnes, chirurgiam labii leporini describentes fissuram palati non omittunt, plerumque tamen ab aliorum fide dependent. Qui autem eam oculis usurparunt, simplicis saltem fissuræ plus vel minus profundæ mentionem faciunt, quos inter (c) ROONHUYSEN & (d) van HORNE non

)(2 postre-

(a) vide Miscellan. Nat. curiof. D. II. A. VIII. p. 135.
(b) Solingen manual. operat. P. I. C. 35.
(c) Historic. Curar. L. 2. Obs. 1. p. 6.
(d) Apud BARTHOL. Epistol. Medicinal. C. 3. Ep. 81.

poſtremum occupant locum. An vero duplex palati fiſſura ab ullo auctore, ſuperiorem obſervationem ſi excipias, obſervata fuerit, me, ut ingenue fatear, omnino latet. Quare a præſenti ſcopo non plane alienum fore exiſtimo, ſi hiſtoriam duplicem palati hiatum illuſtrantem candide atque conciſe deſcribam. Nimirum fœmina quædam plebeja, in optimo ætatis flore conſtituta, ac novem circiter hebdomadas gravida, paucis ab hinc annis in forum deſcendens de improviſo advenientem virum labio leporino laborantem adſpiciebat, conſpectuque ejus inopinato perterrita mœſto admodum ac conturbato animo domum redibat. Ab illo tempore ingrata illa labii leporini idea menti renitenti licet ac reluctanti multoties obverſabatur, gravidamque inquietudinis reddebat pleniſſimam. Etenim non mediocri animus ejus formidine angebatur, ut ne embryoni ſimilis labes adſpergeretur, præcipue cum aſpectus ejuscemodi præter opinionem contingentes malo huic ſæpiſſime occaſionem præbuiſſe, plus ſimplici vice audiviſſet. Septimus geſtationis menſis vix effluxerat, cum e ſomno tranquillo excitata ruptuam in ventre cum ſtrepitu inſigni conjunctam ſentiret, quam illico fluxus humoris aquoſi per genitalia excipiebat. Tanta autem quantitate liquor ille intra breviſſimum temporis intervallum promanabat, ut facile duodecim menſuras pondere æquaret. Evacuato humore illo dolores partui conſueti noſtram infeſtabant, ac iisdem aliquandiu continuatis fœtus mortuus ac immaturus in lucem prodibat. Adſtantes deformitate faciei conturbati ancipites hærebant, utrum infelix puerpera monſtrum, an vero fœtum enixa eſſet. Sed exquiſitiori examine inſtituto apparebat clare, fœtum non niſi labio leporino deformatum eſſe; præterquam enim quod labium ſuperius alte erat fiſſum maximeque hians, duplex quoque fiſſura in palato obſervabatur; harum una ad fauces pene usque protenſa dextram palati partem tam profunde dividebat, ut ejusdem lateris na-

rium

rium foramen cum ore nonnisi unam effingeret cavitatem, altera autem in opposito latere & quidem in media saltem palati parte animadvertebatur. Præterea ex antica palati profunde scissi parte gingiva adnata per labii hiatum ita extuberabat, ut propter albedinem & solito majorem duritiem ad dentis faciem aliquantum accedere videretur. Uti itaque historia hæcce duplicem palati fissuram cum labio leporino complicatam perspicue probat; ita ex ea simul elucescit, aliquando abortui immodicam liquoris amnii quantitatem occasionem dare. Præterquam enim quod nullus dolor uteri spasmodicus, aut alia sontica causa suspicionem de concitando abortu gignens præcesserat, ac insuper somno tranquillo sopita ex improviso rupturam membranarum fœtum obducentium perpessa erat, sane vel ipse liquor amnii stupenda prorsus quantitate excretus dilucide docere videtur, eum magna copia congestum tandem membranas perfregisse sibique ac fœtui exitum parasse. Ceterum in declarando hoc phœnomeno eruditi parum concordes sunt atque unanimes. Etenim alii idem a matris anima tenelli corpusculum construente atque imaginationis vi perturbata deducunt; alii effectum huncce ideæ a matre conceptæ atque embrynis menti, aut animæ sensitivæ, vel spiritibus animalibus communicatæ attribuunt; alii definitum quempiam humorum spirituumque motum occasione imaginationis a matre ad fœtum, de hoc affectu producendo ne somniantem quidem, propagatum sibi concipiunt; alii ortum ejus ab ovulo materno, non modo futuri embryonis, verum etiam labii fissi rudimenta complectente derivant; alii tenerrima labii vel palati stamina ab humorum acredine & congestione fortuito dilacerari ac dissolvi arbitrantur; alii has & similes infantum deformationes a summi Architecti leges naturæ imperscrutabili modo invertentis vindicta, qua interdum mortales prosequitur, deducunt. Neque vero adeo mirari convenit, de istiusmodi morbis abstrusissimis in scholis Patho-

logórum tam diſſonas vigere ſententias; quis enim, easdem certis quibusdam hypotheſibus niti, haud animadvertit? Quare qui ſemel hypotheſin quampiam eſt amplexus, ab ea difficulter ſe abduci patitur, quin potius ex quibusvis angulis argumenta conquirit, quibus non modo hypotheſin ſuam ſibi omnium veri ſimillimam ſtabiliat, verum quævis etiam phœnomena ad ductum ejus explicet, præcipue cum in eo maximam eruditionis vim & ingenii acumen conſiſtere plerique omnino arbitrentur. Id vero nemini obſcurum fore opinor, ad medelam labii leporini, quo infans fœdatus in lucem prodit, ſpeculationes has omnes parum vel nihil facere. Equidem ſi matris imaginationi hoc in paſſu aliquid attribuendum venit, prophylactica cura haud improbanda eſſe videtur, ita ut hac lege ſtabilita Medici omnino ſit, cuilibet gravidæ cordate ſvadere, ut ab aſpectu iſtius modi rerum, quibus plerumque vis labium leporinum excitandi adſcribitur, probe ſibi caveant, atque ideam inopinato conceptam, quantocyus fieri poteſt, excutiant; verum ſalutare hoc conſilium quemlibet medicum cuicunque demum hypotheſi addictum dare poſſe, aut idem ipſum conſilium fruſtraneum prorſus eſſe atque irritum, ſi malum non a matris imaginatione, ſed ab aliis cauſis dependeat, rem accuratius perpendenti cognitu difficile non erit. Per grata vero atque accepta ægrotanti hujusque agnatis eſt manus chirurgi perita, non fictitiam ſed veram utilitatem adferens, eoque operam dirigens, ut non duntaxat diſſolutum labium uniatur conſolideturque, ſed & formoſitas amiſſa faciei reſtituatur. Sutura cruenta id incommodi habet, quod dolorem & moleſtiam non mediocrem ægrotanti pariat, & plerumque cicatricem adſpectui ingratam poſt ſe relinquat, hinc nonnulli ad iſtiusmodi incommoda vitanda ſuturam ſiccam haud parum commendant, tametſi hanc continendis labii fiſſi extremitatibus vix ac ne vix quidem ſufficere, alii animadvertant. Quare non nemo ad firmandam ſuturam ſiccam non infelici ſucceſſu ſequenti faſcia eſt uſus:

ſcili-

ſcilicet faſcia juſtæ latitudinis & longitudinis eligitur, hujusque parti mediæ utrinque charta denſa rigidaque ac linteo obducta ita adſuitur, ut libere protuberantes extremitates tanto ſpatio a ſe invicem diſtent, ut eædem, media faſciæ portione labio fiſſo applicata, buccas comprehendant. Namque corpora hæc rigida, extremitatibus faſciæ ad occiput delatis ibique firmatis, dum invertuntur, ſemel prehenſas buccas non modo firmiter continent, verum etiam os verſus trudunt efficiuntque, ut labium fiſſum rite emplaſtris firmatum vix ullo oris motu diſtrahi queat. Permagni itaque refert, Chirurgum in operationibus dextre peragendis convenienti faſciarum inſtrumentorumque apparatu uti. Et profecto verbis digne exprimi nequit, quantum utilitatis hoc in paſſu mechanica chirurgiæ pariat, id quod in partium mutilatarum chirurgia luculenter obſervare eſt, de qua proxima in Panegyri diſtinctius paulo ſumus acturi. Poſteaquam enim

VIR JUVENIS ORNATISSIMUS
DOCTISSIMUSQUE

DN. JOH. JAC. NEUHOLD,

Sempron. Hungar.

MEDIC. BACCAL.

non modo in Vitembergenſi & Jenenſi, verum in noſtra etiam Academia a Doctorum Profeſſorumq; ingenii ſagacitate uſuque rerum præſtantiſſimorum ore diligenter pependit, nec non propria meditatione & exercitatione Artem imprimis Apollineam ſex annos & quod excurrit ſtrenue excoluit, paucis ante menſibus a gratioſo noſtro Ordine modeſte petiit, ut ad examen theoreticum admitteretur. Admiſſus in eodem quæſtiones propoſitas expedite & exacte explicavit, primamque in Medicina lauream ex merito obtinuit. Brevi poſt licentia publice legendi uſumque lienis declarandi eidem eſt conceſſa, quo labore non citra eruditorum applauſum perfunctus nihil magis in votis optatisque habuit, quam ut

ad

ad examen rigorosum seu practicum admitteretur. Sane & in hoc singularem, quam sibi in Medicina comparavit, peritiam Ordini nostro satis superque probavit. Quare, ut luculentum eruditionis suæ testimonium justumque laborum præmium assequeretur, prælaudatus Ordo ipsum perquam dignum judicavit, cui summa in arte Medica brabea assignentur. Eum in finem proximo Jovis die, ventilata prius more solenni *Dissertatione inaugurali* *DE USU LIENIS*, sæpius jam laudatus Dominus Candidatus a me, cui ad præviam Facultatis nostræ denominationem a *Reverendissimo, Serenissimo atque Celsissimo Principe ac Domino*, DOMINO **MAURITIO WILHELMO**, *Duce Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Angriæ & Westphaliæ, Postulato Administratore Episcopatus Martisburgensis, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ & superioris & inferioris Lusatiæ, Comite principali dignitate Hennebergico, Comite de Marca, Ravensberg, & Barby, Domino in Ravenstein, Cancellario hujus Academiæ perpetuo, Domino meo longe Clementissimo* vices Procancellariatus gratiosissime sunt delegatæ, Licentiati titulo, honoribus, dignitate & privilegiis solenniter ornabitur. Huic ipsi solennitati ut *Magnificus Academiæ Rector, Comites illustrissimi, Proceres utriusque Reipublicæ gravissimi, ut & Generosissimi Nobilissimique Dn. Studiosi* præsentia sua majorem splendorem conciliare velint, est quod humanissime rogamus; omnibus ac singulis animum ad quævis officiorum genera paratissimum vicissim promittentes. P. P. Lipsi.

d. XXI. Dec. An. MDCCXXII.

LITERIS TITIANIS.